AUGUSTINUS. PS. AUGUSTINUS. EVODIUS UZALIENSIS. HIERONYMUS. QUODVULTDEUS
Klosterneuburg, 3. Viertel 12. Jh. Seite 57v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Quis autem ignorat quod deus deum genuit. quod dominus dominum genuit. quod rex regem
genuit. quod creator creatorem genuit. quod bonus bonum genuit. quod sapiens sapientem
genuit. quod clemens clementem genuit. potens potentem. Nichil subtraxit pater
in generando filium. nec enim inuidus. sed ut fons bonitatis tantum bonum genuit.
cuius bonitatis testis est omnis creatura secundum tuam ipsius prosecutionem quam ualde
septies laudo ubi de diuinis protulisti dicendo. inuisibilia enim eius a creatura mundi
per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur. sempiterna quoque uirtus eius ac diui-
nitas. Adhuc tamen adicio non contraria in his que bene sunt dicta. dicens. sed consensum
accommodans. quomodo ex magnitudine pulchritudinis condigne creator eorum cog-
noscitur atque colitur. Vt puto dedimus ad ista responsum. quoniam hoc et beatus paulus
tuum prosequitur. quoniam cyrographum quod erat contrarium nobis ipsum tulit. xpe. de medio af-
figens illud cruci. exuens se carnem potestates et principatus transduxit fiducialiter
triumphans eos in semetipso. At tamen ut sic homo qui exercitationem liberalium
litterarum uel rethorice artis non feci. si quid uicium fecissem in sermone ad sensum respi-
cere debuisses et non uicium sermonis intendens in eum nos induceres. Absit
absit. unigenitus deus. deus est uniuerse creature. mundus in eo inquinatur. sanctus securus. nullam
in se habens immundiciam. Nam qui non honorificat filium. non honorificat patrem
qui eum misit; Quod enim uerbum caro factum est. et in nobis habitabit euangelista
testatur. et uidimus ait gloriam eius tamquam gloriam unigeniti a patre. plenum gratie et
ueritatis. De hoc ipso et ante iam uetus testamentum precinuerat dicens. Lauit
in uino stolam suam. et in sanguine uue opertorium suum. Quod lego credo quomodo
uerbum caro factum est. et habitabit in nobis. Iterum lego beatum paulum dixisse.
qui transfigurauit corpus humilitatis nostre conforme fieri imaginis corporis
xpi gloriae suae; Credo enim quod xpe deus a patre genitus ante omnia secula ipse sibi secundum
domum secundum salomonem prophetam edificasset; secundum quod legimus sapientia edificabit sibi
domum. quam domum uice templi accepit. Nam et ipse dedisti rationem. secundum
quod sit uisibilis. secundum quod sit inuisibilis. ut puto non recens hec auditio ad
aures tuae religionis. Nam et in persecutione quam prosecutus est comparationem accipiens
animae. ostendisti piam et iustam esse rationem ut credamus et cognoscamus. quia si anima
humana in corpore posita oculis corporalibus uideri non potest. quantomagis creator
animae corporalibus oculis uideri non potest. Nam si angeli secundum naturae suae
substantiam inuisibiles habentur. quantomagis creator angelorum qui tanta ac talia fecit.